



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **CATACEN.-SQUILLACEN.,
COSENTINA- BISINIANEN., RHEGINEN.-BOVEN.** *NOVA ORDINATIO PROVINCIARUM

ECCLESIASTICARUM CALABRIAE Maiori Christifidelium spiritali bono consulere cupientes, audito Conferentiae Episcoporum Italiae Praeside ac de consilio Congregationis pro Episcopis Praefecti, de plenitudine apostolicae potestatis Nostrae haec statuimus quae sequuntur ac decernimus. Archiepiscopales Ecclesias Catacensem-Squillacensem atque Cosentinam-Bisinianensem, hactenus recta via subiectas, ad fastigium metropolitanarum Ecclesiarum attollimus iisdemque iura et privilegia tribuimus, quibus reliquae ad normam communis iuris gaudent communitates metropolitanae. Simul praeterea ex integro ecclesiasticas provincias eorundem ipsorum nominum constituimus. Catacensem Squillacensem Archiepiscopum necnon Cosentinum-Bisinianensem Archiepiscopum actu munere perfungentes, Venerabilem Fratrem Antonium Cantisani priorem ac posteriorem Iosephum Agostino, ad gradum promovemus Archiepiscoporum Metropolitanarum, quos iuribus pariter ac privilegiis augemus quibus ceteri Archiepiscopi Metropolitanae fruuntur, at oneribus aequabiliter obligationibusque obstringimus quibus ii tenentur. Nova sic excitata ecclesiastica provincia Catacensis-Squillacensis constabit ex metropolitana Ecclesia Catacensi-Squillacensi tum etiam dicionibus Crotonensi-Sanctae Severinae et Neocastrensi quae adhuc archidioecesi Rheginensi-Bovensii fuerunt suffraganeae. Provincia Cosentina-Bisinianensis consistet illa metropolitana sede necnon suffraganeis dicionibus Rossanensi-Cariatensi et Cassanensi quae metropolitanae adhuc Ecclesiae Rheginensi-Bovensii suffraganeae fuerunt, tum Sancti Marci Argentanensis-Scaleensis communitate hactenus immediate subiecta. In posterum vero provinciam ecclesiasticam Rheginensem-Bovensem efficiet eiusdem nominis ecclesia una cum dioecesibus suffraganeis Locrensi-Hieracensi, Miletensi Nicotriensi-Tropiensi ac Oppidensi-Palmarum. Quae ad omnia diligenter in actum deducenda fidentes Nos Venerabilem Fratrem Andream Cordero Lanza di Montezemolo, Archiepiscopum titulo Tuscanensem in Italiaque Nuntium Apostolicum deputamus, necessariis et opportunis instructum facultatibus etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemvis in ecclesiastica dignitate constitutum virum, onere addito ad Congregationem pro Episcopis, cum primum fieri poterit, germanum exemplar actus ipsius executionis peractae remittendi. Iubemus tandem singula et omnia hisce Apostolicis Litteris sancita plene sortiri suam vim tam nunc quam in posterum usque aevum, rebus quibuslibet, etiam speciali mentione dignis, haudquaquam obsistentibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die tricesimo Ianuarii mensis anno Domini bismillesimo primo, Pontificatus Nostri tertio et vicesimo.*

ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

IOANNES B. card. RE

Congr. pro Episcopis Praef.

Leonardus Erriquenz, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. XCIII (2001), n. 6, pp. 337-338 © Copyright 2001 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana